



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Regale Sacerdotivm

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1615

Cap. 5. Sacerdotes sint hospitales, & caritatem in proximos exerceant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54698](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54698)

*in* roro descendente penitus exstinguatur & e-  
morietur. Castè igitur viuite Sacerdotes, viuite  
cum honestate, diligenter vos custodite, feminas  
& amores illicitos fugite, vobisque proponite  
castis diabolum semper bellum mouere.

CAPVT V.

*Sacerdotes sint hospitales & caritatem in proxi-  
mum exerceant.*

**C**haritas Sacerdotes aded propè respicit, Charitas  
tamque eorum statui propria est, eorum decet Sa-  
vt crumenæ populi & totius reip. crumenæ, cerdotes.  
mensæ verò inopum sustentacula & refectio; *Concil.*  
domus denique pauperum receptacula esse de- *Nann.*  
beant.

*Vade & adduc aliquos de tribu nostra, dicebat Inuitent  
senior Tobias, timentes Deum, vt epulentur nobis- pauperes  
cum.* Ad iusti huius imitationem nunquam Sa- ad mensam  
cerdotes soli comedant, sed semper aliquos, & *Tob. 2.*  
presertim egenos, ad mensam suam vocent;  
quoniam eiusdem tribus & sanguinis sunt, &  
verè eorum fratres Christiani, eodem geniti  
patre.

Merita sua coram Deo recensens Tob Prophe- *Tob. 31.*  
ta, hospitalitatis se nomine imprimis commen- Peregrinos  
dabat, dicens, *Foris non mansit, quamdiu vixi, pe- suscipiant.*  
yegrinus, ostium meum viatori semper patuit. San-  
ctum hunc prophetam sequendo sacerdotes pe-  
regrinos in domum suscipere debent, nec per-  
mittere vt viatoribus egenis ostium oc-  
cludatur:

Isai 58.

Inducant  
externos in  
domum.

*Frangere, ait Propheta, esurienti panem frange, & egenos vagosq; induc in domum. Directè hoc Sacerdotes concernit, ad illos enim spectat penam esurientibus frangere, & externos & peregrinos in domum deducere.*

Christum  
recipit qui  
recipit pe-  
regrinum.

*Christus ait in Euangelio, Qui recipit vnum meum recipit; & qui recipit me recipit eum qui me misit. Sacerdotes vero, & ij præsertim qui peregrinos in domum admittunt, pauperibusque succurrunt; Christum haud dubiè recipiunt, & cum illo Patrem à quo missus est. O beatum domicilium, in quo omnis illa diuinitas hospitatur.*

Matth. 25.

Qui in do-  
mum pere-  
grinos re-  
ceperint, in  
die iudicij  
mercedem  
recipient.

*In magno iudicij die cùm cõscientiarum arbitria iudex ille terribilis excutiet, & quando vnquoque rationem ponet, inter cetera peruenientem reuocabit, Hospes eram, & collegi me. Quam beati felicesque futuri sunt tunc Sacerdotes, qui in iudicij sui utilitatem, egregiam illam beneficij recognitionem, quod olim factum est, ceter pauperes receperint benigneque tractauerunt.*

Hebr. 13.

Hospitali-  
tatem  
commen-  
dat Apo-  
stolus.

*Hinc contribules suos & fratres alioquin Apostolus, ita eosdem ad magnam hanc virtutem exhortatur, Charitas fraternitatis mandata vobis: & hospitalitatem nolite obliuisci: per hoc enim placuerunt quidam Angelis hospitio recepti. Mementote victorum tanquam simul victis laborantium, tanquam & ipsi in corpore morantur. Quod in Hebræis ad omnes omnino fideles dicitur ad Sacerdotes potissimum spectat. Horum est tria illa religionis puncta obseruare, omnino scilicet vt fratres diligere, in carcerem iactos & viatos inuisere, & pauperes in domum recipere; cùm ipsa meruerit hospitalitas.*

nas, Angelos in peregrini specie comparentes  
olim recipere.

Tanti Salomon regiam hanc virtutem faci- Caritas  
ebat, vt diceret, charitate vniuersa cooperiri de peccata ad  
licita, & quidquid commissum, ob hanc vnam scondit.  
quodammodo dissimulari. Hanc igitur comple- *Prou. 10.*  
cti Sacerdotes oporteret, cum illius adminicu-  
lo omnia omnino peccata deleantur.

Apostolus etiam maiora dicit, *si linguis*  
*hominum loquar & angelorum, charitatem au-*  
*tem non habeam; factus sum velut aes sonans aut* 1. cor. 13.  
*cybalum tinniens; et si habuero prophetiam & no-* Sine carita-  
*uerim omnia mysteria; et si distribuero in cibos pau-* te homo  
*perum omnes facultates meas. Idem de vobis ipsis* nihil est.  
dicite Sacerdotes, & ita sentite, vos, quamuis  
linguis omnium tum hominum tum Angelo-  
rum loqueremini, si charitate destituamini, ni-  
hil omnino esse, & opera vestra meriti omnis  
esse expertia.

Ipsae quoque Apostolorum coryphaeus Petrus *Cooperie*  
ait, *Ante omnia autem summa in vobismet ipsis ca-* peccata ca-  
*ritatem habentes, quia charitas operit multitudi-* ritas.  
*nem peccatorum. Summo huic Sacerdoti cre-*  
dite Sacerdotes, eiusque monitis acquiescen-  
tes, charitatem amplectimini, cuius ex sunt  
vires & robora, vt peccata vestra coope-  
riat.

Dicere solebat Plato, bonos viros & pro- *In Timaeo.*  
bos esse debere in republ. communes. Equidem *Plato vole-*  
illius insistendo vestigia & Christiane loquens *bat bonos*  
dico, expedire haud dubie & necessarium esse *esse com-*  
vt Sacerdotes & religiosi omnibus communes *munes.*  
& obuij sint, id est, charitatem erga omnes &  
quoslibet exercentes.

**Sacerdotes** Insignes & viui charitatis fomites sunt. *ait magnus Papa Clemens, si quis mensam suam & epulas omnibus faciat communes, ita quippe nascitur amor, omnisque boni cultus in hac communione consistit, ideo cibos vestros alijs communicate, ferculorumque vestrorum participes sint alij, perque temporalia hæc pacis obsequia, & caritatis fructus facite, ut æterna & celestia gaudia adipisci mereamini. Esuriens reficite, sitientibus potum, nudis vestitum, deriseros visitate, vinctos iuuate, peregrinos in domibus vestris suscipite exemplo piissimi Patriarchæ Abrahamæ. Sanctus hinc Pontifex omnia misericordiæ opera Sacerdotibus & clericis commendat, sed imprimis ut pauperum participium suscipiant.*

**Peregrinos hospitio suscipiat,** *Curam hospitum, ait concilium Nannæense, maxime pauperum, atque debiliū, orphanorumque, que atque peregrinorum habeat presbyter: quibus de mensa sua iuxta qualitatem suam cibos impartiat, domum ad hospitandum præbeat, digne illos tecto recipiat. scitote enim Sacerdotes non alios vobis clientes & parasitos deservisse Deum quam pauperes, nec alios hospitum quam peregrinos.*

**Hospitalitatem Sacerdotibus suadent Concilia.** *Volumus, ait idem Concilium, ut presbyteri qui bonum exemplum charitatis omnibus ostendere debent, hospitales existant, iuxta Domini & Apostolicum præceptum & erga eos foris veniunt, benignos se exhibeant; per hospitalitatem enim placuerunt quidam Deo Augustini hospitio receptis. ipse quoque Christus in die natiuitatis dicet, hospes eram & collegistis me; Iob etiam de se testatur, ostium meum viatori placuit, Eg-*

gia profectò caritatis exempla, è quibus Sacerdotes discant eleemosynas erogare, seseque benignos in pauperes ostendere.

Quoniam verò quidquid habent clerici, pauperum est, idcirco domus illorum omnibus debent esse communes, sed ita vt ex domibus priuatis fiant hospitalia & publica Xenodochia ad excipiendos pauperes & hospitandos peregrinos. Ecquæ igitur Sacerdotum vesania est, tantum opum congerere, tantum congerendis pecunijs insudare, cum omnia quæ habeant, modò necessitatibus debitis prouisura sit, ad pauperum patrimonium spectent?

Hic insurgit & eloquentiam ostendat Abro-  
sius dicens, *Est publica species humanitatis, vt peregrinus hospitio non egeat, suscipiatur officiosè pateat aduenienti ianua.* Honestum & consentaneum est, & apud omnes mundi nationes summo in honore habetur, honorificè externos suscipere, hospitalem mensam parare, & officio liberalitatis iisdem occurrere, eorumq; aduentum expiscare & inquirere. Atque vt his misericordiæ actibus vt insignis humanitatis argumentum est, ita quoque, eosdem negligere, egregiæ crudelitatis imago.

Hospitalem, Sacerdotem esse oportet, ne sit de numero eorum, quibus in iudicio dicitur, *Hospes fui & non suscepistis me.* O beatum Sacerdotem si hospitalitatis beneficio impedierit, ne instar iudex aduersus se seueram sententiam pronuntiet!

Non ipsemet Christus solum nos exhortatur  
M 4 vt se-

*Omnia Sacerdotum bona ad pauperes spectant. Hieron. 16. q. c. fin. dist. c. Archidiaconi.*

*Humanitatis species, vt peregrinos suscipere. Lib. 2. de offic. c. 21.*

*Qui hospitales non fuerint in iudicio condemnabuntur. Gratian. dist. 12. c. 7.*

Omnes ad  
hospitali-  
tatem ex-  
citandi.

Cap. 2.

Hom. 23.  
in Luc.

Pauperes  
etiam tra-  
hendi.

Regius a-  
ctus est  
pauperes.  
recipere.

Matth. 22.

Epulo  
damnatus  
quod in  
pauperes  
rigidus fu-  
isset.

vt sectatores simus hospitalitatis, cum se dicit  
in hospitem receptum fuisse, sed eius etiam A-  
postolus omnibus pene suis præceptis eodem  
nos inuitat. Ideo, fratres carissimi, ait Concilium  
Matisconense, necesse est, vt vnusquisque no-  
strum in hoc se officio exerceat, nec ipse modo  
hoc reipsa ostendat, sed alios etiam eodem in-  
uitet, vt ita operibus suis misericordiæ pro pec-  
catis nostris intercedere queat, & per veram  
hospitalitatis tesseram nos Deo reconciliare, &  
iusque nobis numen propitium reddere. Sacer-  
dotes igitur Dei filij exemplo, Apostolorumque  
eius præceptis obsequentes, charitatem erga  
omnes exerceant.

Tanti magnus Gregorius virtutem hanc fice-  
bat vt diceret, *peregrini ad hospitium non solum  
inuitandi sunt, sed etiam trahendi & compellendi.*  
In hoc verò perfectio & summus caritatis  
Christianæ apex consistit.

Pater ille & rex Euangelicus, qui nuptias  
filio parauit, seruos in exitus viarum mittit  
vt claudos, cæcos & ægros & ceteros quos  
cumque ad nuptias, ceteris venire nolentibus  
vocaret, imo & compelleret, *Ite ergo ad exitus  
viarum, & quoscunque inueneritis, vocate ad  
nuptias, &c.* Actus verè regius est, pauperes pe-  
grinos inuitare, illos mensæ adhibere, imo  
magna obsequij significatione & honore ad-  
trandum compellere.

Epulo ille eo potissimum nomine dam-  
nus legitur, quod immitis in egenos epulabatur  
epulabatur quotidie regificè & opiparè,  
misero Lazaro nihil omnino cedebat: ceteri  
domum eius obsederant, & saginabantur  
soli pauperes exclusi, fame emoriebantur.

Epulabatur quotidie splendide, & erat quidam *Luce 16.*  
 mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam  
 eius. Videte Sacerdotes, quibus suppetunt opes,  
 ne, dum peregrinos recipere, & benefacere pau-  
 peribus negligitis, damnationis sententiam in  
 caput vestrum deuocetis. Sape enim bestias  
 maioris facitis, quàm homines pretioso Christi  
 sanguine redemptos.

Iusta indignatione Dauid rex aduersus sto- Nabal in-  
 lidum Nabal commotus fuit, quòd commea- gratus er-  
 tum militibus eius, fame propemodum enectis, ga Davidis  
 denegaret, à quo tamen ingentia beneficia re- milites.  
 ceperat, ita inquam exacerbatus fuit, vt nisi pru-  
 dens Abigail pro marito deprecata esset, do-  
 mus eius & familiam vniuersam vindice gladio  
 deleuisset, Et ait Dauid, Verè frustra seruauit *1 Reg 25.*  
 quia quæ huius erant in deserto, & non perijt quid-  
 quam de cunctis quæ ad hunc pertinebant. Stoli-  
 dum hunc nolite imitari Sacerdotes, & cum e-  
 pulas vestras adornatis, pauperum Christi mi-  
 litum, id est peregrinorum, qui pro vobis in  
 via depugnant & deprecantur, nolite obliui-  
 sci, ne princeps ille cælestis indignatus, iustas  
 de vestra ingratitude pœnas sumat, vosque  
 neci det.

Mulier illa Samaritana cum aquam Redem-  
 ptori sitiēti, qui solus peregrinus in Ierusalem, Qui pere-  
 negasset, acriter ab eodem reprehensa fuit, & grinus quid  
 audiuit, si scires donum Dei, & quis est, qui petit denegant  
 à te aquam bibere, dares illi vtique. Si sciretis Sa- Samarita-  
 cerdotes, ecquod donum, ecquæ gratia, quod ti- næ similes.  
 menti ipsa sit hospitalitas; si inquam sciretis *Ioan. 4.*  
 quis à te petat, dum hospitium petitur, num-  
 quam peregrinos à domo arceres; qui verò a-  
 quam, cibum, tectum, lectum peregrinis de-  
 negat,

M 5

negat,

Genes. 24.  
Rebecca  
charitatis  
exemplū.

negat, Samaritanus est, non Christianus. Laudatur verò e contra in sacris litteris Rebecca, quòd erga Abrahæ procuratorem benignam se & piam declarasset, ac potum tum eum tum camelis illius hausisset. & sanè ingens huiusmodi caritas matrimonij illius occasio fuit, & causa, cur cum sanctissimi Patriarchæ filio Isaac cõnubium iniret, *Cumq; ille bibisset, adiecit, Quis & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.* Illi porrò Deum in sponsum habere ac natiuitati sci merentur, qui pios se & benignos in egenos ostendunt, pauperibus potum, peregrinis cibum largiuntur, peregrinis inquam, veris magistri Dei Patriarcharum seruis.

Hospitalitas erga omnes exercenda. Dist. 42. c. Si quis despicit.

Erga omnes exercenda charitas contra hereses.

*In hospitalitate,* ait Concilium Gangrenense *non est habendus delectus personarum, sed indifferenter quibuscumque sufficimus, hospites nos exhibere debemus.* Hoc modo qui viuit, Christianè viuit, ac magnam illum Patrem imitatur, qui solem suum oriri facit super iustos & iniustos.

*Obsecutus est,* inquit Augustinus, *Loth* Angustinus *liberatus à periculo ciuitatis, & temporalia eius incendium.* Hinc discite Sacerdotes, hinc discite Christiani, sine vlla personarum discretionè indifferenter hospitalitatem sectari, ne si forte ianua vestram alicui occludatis, is ipse sit Iesus Christus, cui humanitatem & benignitatem denegaueritis.